DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

AMPHORAE

CIRCUMSPECTO

USU MEDICO,

Quam

DEO PROPITIO,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRAESIDE

D. MICHAELE ALBERTI

NTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AU

O, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRO-

FESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆ-

SAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

ACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

CUM HONORIS CULTU PROSEQVENDO,

PRO LICENTIA

MISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS

AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

D. MART. MDCCXXII.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

CARL WILHELM POTT,

HALBERSTADIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

ypis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

SI quis eximiam ac ſtupendam farraginem atque penum remediorum in Materia Medica obviorum, vel fugitivo tantum oculo intuetur, facile induci & ad illud præjudicum ſeduci poteſt, quaſi ars medica, promiſcue accepta, ſit infallibilis, tanto magis ſi porro illæ laudationes, quæ ſatis ſæpe vanæ adulationes ſunt, obſervantur, quibus medicamina talia titulo magis ſuperbiunt atque luxuriant, quam facto & effectu ſplendent & eminent: recte propterea *Galenus in meth. med. lib. 2. c. 2.* elocutus eſt: *nihil eſt, quod tam magnifice proſit, quod aliqua ex parte non noceat:* nullum enim medicamen adeo efficax & ſalubre declarari poteſt, quin manu artificis indigeat, extra quam, hoc nomine omnino indignum judicari meretur, ſiquidem tunc æque facile ad pernicioſos & vitæ ac ſanitati inimicos effectus contribuit: quare in proverbio inclaruit dicterium, quod *clava Herculis non valeat niſi in manu Herculis*: ſi deinde artifex tale approbatum reme-

dium poſſidet, prudenter adhibet, maxime vero divina benedictione gaudet, tunc non facile *Herculi clavam extorquere* licet, ut cum *Macrobio lib. 5. Saturnal. c. 3.* loquamur; qui enim ſemel ſecurum & efficax poſſidet medicamentum, ille minime per totum Materiæ Medicæ campum, tanquam in fuga, vagatur, aut inconſtantiam & incertitudinem quandam prodit, ſed tale adminiculum prudenter ad ſalutares uſus applicare continuat: ad hoc negotium omnino conciliatio rationis & experientiæ neceſſaria eſt, quo nonnulla medicamina ita prout cauſis & reliquis circumſtantiis quadrant, legitime & cum ſalubritate adhiberi queant: hinc *Ariſtoteles Metaphyſ. lib. 1. c. 1.* profeſſus eſt: *ſi quis rationem absque experientia teneat & univerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt, ignoret, ſæpe numero errabit à ſanando:* haud vero in amplifica & faſtuoſa remediorum deprædicatione ars conſiſtit; ubi enim plurimum artis & certitudinis & ſinceritatis eſt, ibi minimum faſtus & oſtentationis eſt; ars enim rebus & factis, non nudis verbis & titulis ſplendet: quo magis enim ars à naturæ tramite, ordine & ductu diſcedit, eo magis aberrat, eſt enim juxta *Senecam Ep. 65. omnis ars imitatio naturæ:* propterea etiam minus conſultum eſt, cum medicaminibus promiſcue naturam offendere & alterare: neque etiam talia deſunt ſubſidia, quibuscum ſecure natura in neceſſitatis caſu ſublevari poteſt: interim quoad illorum uſum arte opus eſt: quando vero *Columella de re ruſtica lib. 1. c. 1.* de arte dicit: *uſus & experientia dominatur in artibus: neque eſt ulla diſciplina, in qua non peccando diſcatur: nam ubi quid perperam adminiſtratum ceſſerit improſpere, vitatur, quod fefellerat:*

rat: illuminatque rectam viam docentis magiſterium, tunc ars medica, quæ nunquam ſine ratione ſuccedere debet, cum fallacibus experimentis confunditur & cum empiricis tentaminibus contaminatur & complicatur, ut ita per aliorum mortes experimenta inſtituantur: Inter alia offendicula, quæ medicam artem fallacem & incertam reddunt, recenſeri meretur partim multitudo, partim promiſcua remediorum commendatio, quæ pluribus ferme occaſionibus hactenus innotuit; qui itaque in tali rerum medicarum facie facile credit, is facile decipitur: quot non divinæ interdum virtutes de nonnullis remediis perorantur? quæ ſine præjudicio æſtimatæ, vix plus, quam ſterilis terra juvant: imo licet quædam remedia laude ſua non careant, tamen ſatis ſæpe contingit, ut ultra poteſtates ſuas extollantur & exceſſivo ornatu verborum ac titulorum circumferantur: quantus faſtus in vulgari materia medica occurrat, demonſtratu haud difficile eſt; vix enim exoticum quoddam remedium ad noſtras oras pertigit, tunc innumeræ laudes de eodem declamantur, ut interdum laudes illæ maturius divulgentur, ac ipſa illa famoſa ſubjecta medicamentoſa inter noſtrates experta & ullo modo probata fuere: & ita ferme ſatis notum eſt, quantus vulgo in foro medico ardeat appetitus ad novitates tam ſententiarum, quam medicamentorum; neque hoc tantum, ſed ſatis ſuperque etiam notum eſt, quam altiſonis & ſpecioſis elogiis novitates tales exornentur & commendentur: neque quidem propterea ſingulis talibus novis inventionibus omnis laus derogatur, ſed tantum ille ſuperfluus & otioſus faſtus præoccupatur, ne occaſio præbeatur, quo

 ratio-

rationalis ars cum cœcis & fallacibus experimentis confundatur. Inter alia medicamenta quæ quidem non ſterilia, ſed efficacia, attamen variis contrariis uſibus & ſiniſtris effectibus expoſita ſunt, referri meretur Myrrha, Aloes, Crocus, Camphora: quot ac quanta paſſim ex hiſce ſpeciebus parata medicamina proſtent, teſtatur ſupellex pharmacevtica! quantus etiam cum iisdem ſpeciebus paſſim committatur luxus, teſtantur copioſa exempla: & hæc ipſa ſubjecta ſunt eximia multorum medicorum idola, cum quibus, ſi non omnibus, pluribus tamen morbidis afflictionibus, ſuccurrere multi haud erubeſcunt; inde innotuerunt pompoſæ Myrrhologiæ ac reliquorum ſubjectorum ſpecioſæ declamationes; quæ laudes, ne promiſcue accipiantur & adhibeantur, rationali quodam diſcrimine indigent, cum prædictæ ſpecies longe facilius ad pernicioſos effectus producendos ac ad ſalutares ſcopos promovendos inſerviant: dum itaque remedia ſub divina benedictione non niſi in manu artificis ſalubria exiſtunt, hinc ad officium medicum ſpectat, quo circumſpectus & peritus medicaminum uſus proponatur & commendetur, ſed ne favor judicis legitimum remediorum uſum turbet & ultra limites congruos talia medicamina extollat, neceſſe erit, quo præmaturæ & præconceptæ opiniones ſeponantur, imo quo imperfecta & inſufficientia experimenta vel à pluribus annis, vel à variis medicis ultra modum ac modulum decantata ſint; præſtat rectius ſimplices illorum effectus annotare, eosdemque ad genuinas & veras morborum cauſas applicare; tanto magis vero refert æquivocos & accidentales remediorum effectus diſcernere, cum

interdum contingat, ut una vel altera vice exoptatus & ſalutaris effectus nonnullorum remediorum uſum conſequatur, quæ vero medicamina poſthac multoties adhibita eodem priſtino ſalutari effectu deſtituuntur. Sed ne in generali tali meditatione diutius ſubſiſtamus, è multis remediorum ſpeciebus placet famigeratam Camphoram ſeligere & tribus tantum verbis indicare, quomodo hoc medicamen à variis ultra ſphæram & ſuam virtutem laudetur, ab aliis vero ultra merita & citra cauſam ac culpam contemnatur ac rejiciatur: aſt quantam unquam famam hoc ſubjectum in foro medico nactum eſt, nihilominus pro fama & dexteritate artis medicæ militat, ſi hoc remedium ſub Rationis & Experientiæ conciliatione & ſuffragio ad ſalutares effectus cum ſigillo ſecuritatis, veritatis & certitudinis commendatur, adeoque ſelectus ingenuus ac providus in laudibus Camphoræ inſtituitur: & talis labor tanto magis neceſſarius erit, quo magis tam ſplendidis ac admirandis laudibus, quæ de talibus ac ſimilibus remediis circumferuntur, præmaturus ac promiſcuus applauſus conceditur: Et hæc ipſa conſideratio nos permovit, quo in edendo ſpecimine Inaugurali, de utili ac neceſſaria tractatione medico practica, quæ ad medico-clinicos ac medico-chirurgicos uſus ſe extendit, ſolliciti ſimus: Conſtituimus itaque nobiſcum hoc labore CAMPHORÆ CIRCUMSPECTUM USUM MEDICUM brevibus explicare: ad hoc propoſitum vero ante omnia DEUM ſupplices convocamus, quo nobis clementia ſua adſiſtat, ut conatus noſtri exoptatum ac ſalutarem finem aſſequantur.

§. I.

§. I.

DUm Camphoræ *circumſpectum* uſum Medicum exponere cogitamus, minimè immorabimur *Hiſtoriæ naturali* texendæ, quæ de Camphora paſſim proſtat, ſed hanc hiſtoricam notitiam tanquam *toties* repetitam & diſertè alibi deſcriptam *præſupponimus*, de qua hiſtorica Camphoræ deſcriptione conferantur *Garc. ab Ort. Joh. Hug. Linſcatus, Petr. Haſſæus, Pomet. Hiſtoire des Drogves, Athan. Kircherus in Mund. ſubterr. Eraſm. Franciſci* Oſt-und Weſt-Indianiſcher Luſt-Garten, *Joh. Rejus Hiſt. Plant. Mœbii anatomia Camphoræ, Valentini Muſæum Muſ. Wedelius diſp. de Camphora. A. N. C. dec. 1. an. 4. & 5. obſ. 130. Dec. 2. an. 1. obſ. 153. Bauhinus Hiſt. Plant. Zornii Botanologia Medica* & multi alii: nos hoc loco non tam ad *curioſa*, quam ad neceſſaria & *utilia* animum noſtrum dirigemus, ſubinde vero evitabimus, ne *experimenta* & præparata cum Camphora inſtituta & producta allegemus, ſed ad ipſum *ſalutarem* uſum in foro *Medico* advertamus: haud tamen propterea *aliorum* labores quoad Camphoræ *naturam* indagandam improbamus, ſed quæ paſſim alibi à multis attentis naturæ ſcrutatoribus propoſita ſunt, in natura Camphoræ eruenda ad ulteriorem attentionem, approbationem & illuſtrationem commendamus: noſtrum rectius hoc themate erit propoſitum, quo *intricatum* uſum Camphoræ in Medicina brevibus indicemus: etenim dum Camphora multis *judiciis* & *præjudiciis* obnoxia eſt, ita quilibet, humanæ fragilitati *ſalutaribus* negotiis proſpiciens, in id intentus eſſe debet, quo hos ſcopulos evitet & ſubjectum *multarum* & eximiarum virium ad ſalutares effectus promovere adjuvet: & dum in materiarum medicarum commendatione vulgo *triplex* eminens *error* committitur, quando remedium quoddam ex *imperfecta* obſervatione, vel *præconcepta* opinione penitus *contemnitur* & improbatur, vel quando ex,

incon-

inconſulta curioſitate, *affectato* & ſupervacaneo *exoticorum* ſelectu & minus congruo experimentorum *phyſicorum* uſu & applicatione pro *divino*, ſtupendo & eximio mox declaratur, vel denique quando *minus ſufficienter* & convenienter, ſed *fugitive* & frigide ſub multa *titubatione* & trepidatione commendatur: aſt ne in triplicem talem labyrinthum incidamus, dabimus cum Deo operam, quo *prudentem* Camphoræ uſum indicemus: hoc ipſo vero titulo mox *implicitè* cum multis aliis peritis & attentis viris inculcamus, quod *ſæpe* Camphora interne æque ac externe *minus circumſpecte* adhibeatur, indeque ſatis *ſuſpecti* & *periculoſi* effectus conſpiciantur: & quandò circa *medicum* Camphoræ uſum occupati ſumus, tunc nonnullos uſus *congruos* & *incongruos* in Praxi *clinica* & *chirurgia* ſignificabimus, quoniam in *utraque* medicina non raro ſatis *evidentes* errores committuntur, tanto magis, quia *ſalutares* effectus, qui per *inconvenientem* Camphoræ uſum obliterantur & opprimuntur, non exigui ſunt & quia viciſſim *pernicioſi* Camphoræ effectus, ad quos *nuda* phyſica contemplatio & *incompta* experimentorum applicatio anſam præbuit, multos in praxi medica *occæcare* & confundere poſſunt.

§ II.

Priusquam ipſum providum Camphoræ uſum indicamus, non multum neceſſe erit, quo Profeſſorum, Doctorum & Practicorum horumque ſectatorum *aſſenſum* congeramus, quod omnino *caute* Camphora in medicina uſurpanda ſit; illud vero omnino è re noſtra erit, quo brevibus *indolem* & *qualitatem* Camphoræ ſignificemus, ex qua indagatione eo magis luculenter pateat, in quo caſu *magis* aut minus *circumſpecte* Camphora adhibeatur, imo quo nobis viam pandamus, ut reliqua ſuccincta tractatio faciliori negotio ſuccedat, *triplex* perpendenda erit conſideratio: *primo quid ſit Camphora*, *deinde quænam* ſint *principia* Camphoræ, *denique quales* ſint *generales* Camphoræ *virtutes*: in triplici hac animadverſione *brevitati* ſtudebimus: Quid Camphora

nomine & *conſiſtentia* ſua exiſtat, dicimus, quod ſit *Reſina ſpecialiſſimæ* indolis *volatilis*, ab omnibus *aliis* reſinis quoad *ſpeciales* qualitates *diſcreta;* & ſicut aliæ reſinæ *à ſe invicem ſpecifica* ſic dicta differentia in analyſi *phyſico-chymica* eminent, ita hæc camphora ab aliis *communibus* reſinis diſcrepantiam ſuam ſervat: *reſinoſum* illum ſuccum eſſe teſtantur *principia oleoſo-terreſtria* & ſimul ad *tactum pinguia*, proinde *oleoſa viſui* obvia, quando ſpiritus vini largius cum Camphora ſaturatus eſt, totus *oleo æthereo reſinoſo* impregnatus conſpicitur; porro *primæ origines* Camphoræ reſinoſam indolem teſtantur, quando hiſtoriæ naturales abunde teſtantur, quod ex arbore æque ac *aliæ* ſubtiliores reſinæ tranſtillet: præterea, quod *differentia* illius à *craſſioribus gummatibus* & *ſubtilioribus oleis* ſatis comperta & evidens exiſtat: accedit, quod illius indoles magis *ſulphurea* & *oleoſa* adeoq; a ſimplici ſalina volatili proſapia paulo magis diverſa ſit, præprimis cum ſalia volatilia *mere* & ſimpliciter *naturalia* vix facile conſpectui offerri queant. Quænam porro Camphoræ ſint *principia* facile liquere poteſt, dum *inflammabilis* illius indoles mox manifeſta evadit, ob id plurima ex parte de *ſubtili oleo* ſive *ſulphureo* principio participat: propterea vero etiam ſatis *ſufficienti ſalino* principio gaudet, hinc *Zornius in Botanologia Medica* ex *Gladebachii Praxi Medica* commemorat, quod Camphora *egregium ſal volatile oleoſum de ſe ſpargat*, *adeo ut illi ſimile quid in omnibus regnis non inveniatur*, & hanc *ſalinam* ſuam indolem comprobat eminens & *penetrans acredo*, qua Camphora pollet: hæc eadem *ſalina* ſubſtantia perinde *volatilis* eſt, quæ tamen cum *oleoſa* portione *ſubtili* modo *mixta* eſt: & dum ipſa *ſalia terreæ* indolis exiſtunt, ita hanc *terreſtrem* conſiſtentiam Camphora in *concreto* teſtatur, quæ *terra* tamen perinde *ſalina* & *volatilis*, neque *unquam fixa* eſt; id quod varia experimenta confirmant, in quorum enarrationem minime nos diffundere placet, cum brevitati ſtudentes potius *uſum ſalutarem* Camphoræ ſignificare placeat: Quod denique *generales* Camphoræ *qualitates* attinet, tunc inter *antiquos*

tiquos

tiquos præcipue medicos diverſa diſceptatio occurrit, qua nonnulli de *frigida* & *calida* Camphoræ qualitate militant, ſicut cum *Avicenna*, *Serapio*, *Platearius*, *Garcias ab Horto*, *Laguna*, *Chriſt. a Coſta*, *Dioſcorides* eidem *frigidam* adſignant, *Matthiolus* contra ipſi *calidam lib. 1. in Dioſc. c*, *71.* adſcribit, denique alii *frigidam* & *calidam* illi attribuunt, ut *Renodæus lib. 1. de mat. med. c. 2. Ranchinus tr. de morb. virgin. conf. Zac. Luſit. M. P. H Lib. 3. qv. 34. Caſp. à Rejes Camp. Elyſ. qv. 44. n.* 11, 12. ſed ne in alienis concertationibus hæreamus, iterum brevibus indicamus, quod Camphora *eximie calefaciente* & *impellente* vi prædita ſit, quod aſſertum per *rationem* & *experientiam* facile confirmari poteſt & ut e multis pauca proferamus argumenta, de *oleis ætbereis* & ſingulis *volatilibus* ſubſtantiis affatim conſtat, quam *activa* & *mobilia* ſint, ſubinde etiam *alia* ſubjecta facile *penetrent* & *impellant*, in quo phyſico chymico aſſerto *plurimam* Doctorum partem cum ſuffragio ſuo nobis adſiſtentem habemus: proinde ipſe *ſenſus* & ſeorſim guſtus Camphoræ ſatis manifeſtum *ardorem*, adeoque *majorem caloris* gradum offert, quidquod in omnibus ſubjectis *internus* æque ac *externus* Camphoræ uſus calorem *naturalem auget* & primo ſuo effectu magis *commovet*: quo loco confuſionem illam, quæ ſatis ſæpe committitur, præſcindimus, ne *effectus* camphoræ cum *conſectariis* pro *una eademque re* declaretur, dum interdum *poſt peritum* Camphoræ uſum, *præcedens* præternaturalis aut inſolitus *calor miteſcit*, quæ *remiſſio* vero minime proximus & *immediatus* illius *effectus* exiſtit.

§. III.

Non alienum erit à noſtro ſcopo ſi adhuc paucis *vires* Camphoræ *medicas* notamus & ex hiſce præcognitis *circumſpectum* illius uſum *Medicum* adſtruimus: minime vero placet *ſpatioſo* catalogo ſingulas illas virtutes enarrare, quæ *paſſim* de Camphora circumferuntur, qualem amplam ſeriem recenſet *Zornius in Botanologia Medica*, ubi variæ *laudationes* deprehenduntur, quæ ab aliis pro *adulationibus* æſtimantur:

habet itaque Camphora vim Maſſam *ſanguineam* valde *commoventem* rarefacientem & liquantem, ſubinde *diaphoreticam* & *diureticam:* præcipue eximie commovet *lympham* tenuem: concitat efficacem & potentem *motum inteſtinum* in partibus *fluidis; ſolidas* vero partes *ſtimulat* & ad illas intimiorem humorum *affluxum* convocat, mediante quo partes nunc in tali loco *hærentes*, eluuntur, *reſorbentur*, diſſolvuntur & in ordinarium ſuum motum convertuntur, hinc *diſcutiens* Camphoræ virtus emergit: porro Camphora *poros cutis* penetrat & *aperit*, adeoque *tranſpirationem* è ſuperficie corporis facilitat, ſed & in *nonnullis* caſibus firmiorem fibroſarum partium *conſtrictionem* promovet: *depreſſos* humorum motus allevat & *excitat: ſubtiliores* ſubſtantias in corpore *diſſipat* & diſpergit: *ſenſationem amiſſam* in diverſis corporis regionibus reſtituere adjuvat: *multos dolores* ab incongruo motu partium ſolidarum & fluidarum provenientes, *lenit* & hoc ſenſu minuit atque *ſedat:* varias partes ab incongruo & pernicioſo humorum *affluxu* liberat, illarumque *officium* ſuffulcit & promovet: partibus *nervoſis, prudenter* adhibita, conducit, dum illas à varia ſuſpecta humorum *pravorum invaſione* & *ſeceſſione* defendit: non raro *ſtaſes* ſuſpectas præoccupat & *ſolvit*, quid quod *corruptiones* interdum *avertit:* & dum Camphora ſatis efficaciter *ſanguinem commovet* & impellit, ita aliquando *amiſſas* & neceſſarias *Hæmorrhagias revocat:* non minus *ſanguinis* & *lymphæ tenuitatem* adjuvat, unde in *Cacochymia* & *Cachexia* nonnunquam proficit: in *motuum* vitalium *defectu*, à cauſa præcipue *frigida* orto, eadem Camphora *ſalutarem* quandoque uſum affert: in *ſeri* & *muci ſtagnationibus, ſtaſibus, ſeceſſionibus*, translationibus & infarctibus perinde utilis exiſtit; in *atonia* partium *membranacearum, glanduloſarum, tendinoſarum, nervoſarum* ex *ſeroſo-mucida* oppletione orta, æque proficua eſſe deprehenditur; in *ſenſuum internorum* & *externorum* diverſis *vitiis* quandoque non exiguam opem exhibet: in nonnullis *deliriis*, ex *depreſſo* motu humorum ortis, nonnunquam exoptatum effectum præſtitit: in quibusdam *primarum*

marum viarum afflictionibus morbidis, è *frigida* cauſa natis, quandoque ſalutaris fuit: miſſis *aliis* utilibus effectibus, qui de Camphoræ uſu obſervati fuere: ſed quoniam adhuc in *generalibus* ſubſiſtimus, reliqua ex hoc fonte haurienda ſunt: imo ne *contradictoriam* quandam enunciationem proferamus, omnino quoad ſingulas haſce laudes exquiſitam & *judicioſam methodum* & applicationem deſideramus & urgemus, *ſine qua* ſingulæ hæ commendationes cum promiſſis ſuis *effectibus minime* cohærebunt, ex qua admonitione propterea præſentia elogia *limitamus* ac diſtinguimus.

§. IV.

Præmiſſis hiſce genericis *præparationibus*, nunc propius *circumſpectum* Camphoræ uſum proponemus: Primo vero ordine de *interno* uſu Camphoræ agemus: omnes itaque *Plethorici* caute, rarius & parcius utantur Camphora, ne *turgidum* ſanguinem, qui *alias* valde proclivis eſt ad *immoderatas* & *orgaſticas* commotiones, cum nocivo effectu & ſucceſſu *impellat* & dum Camphora admodum *rarefacit* & utique *vim expanſivam* exſerit, ita ex Camphoræ *inconſulto* uſu ſanguis *abundans* facile *inturgeſcit*, ad ſuſpectas *oppletiones*, incaleſcentias, phlogoſes, cordis palpitationes, vertiginoſas perturbationes, anguſtias præcordiales &c. diſponit, cujus obſervationis exempla practica producere poſſemus, ni impræſentiarum brevitatem ſelegerimus: conſultius itaque *ſenſibiles* Plethorici à Camphoræ uſu *interno abſtineant:* imo adhuc *plus* dicimus: habent omnino plethorici rationem, quo *externe caute & parcius* Camphora utantur: *Spiſſum* qui poſſident ſanguinem, facile quidem ſpem impetrandæ *attenuationis* à Camphora concipere poſſunt, ſed habent & ipſi, quo *caute* Camphoram adhibeant: non quidem Camphoræ hanc virtutem, ante deprædicatam, derogamus, aſt monemus, quo *provide* in hoc caſu uſurpetur; etenim *quotidiana* experientia, quæ nulla *præconcepta* opinione nititur, abunde teſtatur, quomodo *melancholici*, *ſplenetici*, *hypochondriaci* &c. Camphoram perferre poſſint: quamprimum

enim illa ſanguini *ſpiſſiori* intermiſcetur, tunc *vi ſua expanſiva* facile *anxias inturgeſcentias* cauſatur, *gravativas* membrorum moleſtias concitat, varias *ſtagnationes* provocat, circa *præcordia* anguſtationes excitat &c. quando contra poſt *præviam* & *congruam* corporis *præparationem* ſucceſſive & *parca* quantitate cum *diluentium* ſubjunctorum uſu exhibetur, tunc ad ſanguinis *fluiditatem* conciliandam *aliquam* opem afferre ſolet: In *Dyſcraſia* ſanguinis *bilioſa* Camphora facile *ſuſpectas* commotiones provocat, quoniam *bilioſa* recrementa, quæ *orgaſticis* commotionibus ſubeundis admodum obtemperant, inique *exagitat*, ad internas ominoſas *anguſtias*, *febriles* & *ſpasmodicas* commotiones excitandas contribuit, unde *ſecurius* in tali caſu Camphoræ uſus *omittitur*: contra vero in *mucida* & *ſeroſa* humorum impuritate *ſucceſſive* & *modice* uſurpata Camphora *proficua* eſt, dum *reſolvente*, *diaphoretica*, *diuretica* & fibras *roborante* efficacia illam cacochymiam *emendare* adjuvat: Hominibus, qui de *cholerico temperamento* participant admodum *circumſpecte* camphora adhiberi debet, hiſce enim ſubjectis *plus* quam aliis camphora *noxam* parere ſolet, dum *ſubtilem*, ſulphureum, volatilem illorum ſanguinem citiſſime adeo *exceſſive* commovet, ut pernicioſi inde eveniant effectus: non minus *refracta* quantitate & rarius *ſanguinei* temperamenti hominibus offerri debet, ne illis maſſa ſanguinea inique *exagitetur* & quæ in *contrarias* commotiones admodum propendet, *morboſis* commotionibus & connexis affectibus & effectibus morboſis, ſubjiciatur: longe *melius* & *majori* cum fructu Camphoræ uſum perferunt *phlegmatici* temperamenti ſubjecta, quibus in *multis* morbis etiam *frequentior* illius oblatio concedi poteſt.

§. V.

In hominibus, qui facile *ſpontaneas* Hæmorrhagias experiuntur, Camphoræ uſus neque *neceſſarius*, neque *fructuoſus* eſt, quoniam in illis tales ſpontanei & *liberi* ſanguinis fluxus, facile in *exceſſum* conjiciuntur, dum *inteſtinum* ſanguinis

guinis

guinis motum auget & *congeſtiones*, quæ per *eſſentiam* Hæmorrhagias comitari ſolent, *exacerbat:* & licet aliqui camphoræ uſum *adverſus* hæmorrhagias *ex eo* ſalutarem æſtiment, quod ſpirituum effervescentian *ſedet* & *acrimoniam* ſeri corrigat, minime tamen has *opiniones* cum *ſincera ratione* convenire judicamus, quin potius aſſerimus, quod Camphora, ſi tales hypothetici *ſpiritus* entia realia & non figmenta eſſent, hoſce potius *impellat*, exhilaret, ſubinde etiam *ſerum acre exaltet* augeatque, ut propterea cum *Rondeletio* & *Jouberto* ex *rationis* & *experientiæ* fundamento ac ſuffragio in illo encomio conſentire *minime* queamus, quia rectius ex utriusque aſſenſu defendimus, quod *liberas* & *legitimas* Hæmorrhagias qualiscunque Camphoræ uſus *perturbet:* tanto magis vero Camphora *nocet* in *irregularibus*, ſuſpectis, *excedentibus* & ex *inſolitis* viis ſuccedentibus Hæmorrhagiis: velut in *Hæmoptyſi*, *Vomitu cruento*, *mictu cruento*, *anomaliis* & *inſolitis* viis *Menſium* atque *Hæmorrhoidum*, de qua notatu digna animadverſione practice nonnullos caſus allegare poſſemus, ſi inſtitutum noſtrum permitteret; loquimur vero hoc loco de *eximiis evagationibus* hæmorrhagicis, quæ cum *contumacibus* motibus *ſpaſmodicis*, *ebullitionibus* ſanguinis & aliis *immoderatis* ſymptomatibus conjunctæ ſunt: proinde tamen uſum *peritum* Camphoræ ad *revocandas* ſalutares Hæmorrhagias in *nonnullis* ſubjectis commendamus & approbamus: hoc loco nominamus *Menſtruas* & *hæmorrhoidales* purgationes *amiſſas* & *deficientes*, quæ in ſubjectis *non eximie* cholericis & ſanguineis inter alia *concurrentia* remedia cum Camphora *quandoque reſtitui* poſſunt: præſtat vero quo *antea alvus* ſit aperta, quo *primæ regiones* ab impuritatibus *billioſis* aliisque præjudicioſis recrementis liberæ ſint, quo *ſuperflua* & valde *turgens* ac *urgens* ſanguinis *quantitas* ventilata ſit, quo aliæ *ſuſpectæ occluſiones* viarum & viſcerum ſint *reſeratæ*, quo ſanguis *convenienter* fluidus, neque *nimis* ſpiſſus exiſtat, quo camphora non *ſimultaneis* prodigis doſibus, ſed potius *modice* & *ſucceſſive* exhibe-

hibeatur & ingeratur, quo alii motuum *excedentium* congeſtoriorum, ſpaſticorum, inflammatoriorum, febrilium aut plane convulſivorum *concurſus* abſint: interim probe etiam ſciendum, quod camphora ad *nullam* Hæmorrhagiæ ſpeciem reſtituendam *directe* conferat; ſed ut *promiſcuum* medicamen tantum *aliquando* conducat, quando *genericè orgaſticam* ſanguinis commotionem provocat & *remotiori* cauſandi efficacia ad *eruptionem* ſanguinis contribuit: quem modum fiendi ambiguum, incertum & remotum *D. D. Præſes* explicavit in *tractatu de medicamentorum modo operandi in corpore vivo*, illo loco ubi ſermo de *Emmenagogis* & hæmorrhoides promoventibus remediis incidit: interea in hactenus commendata Camphoræ oblatione ad Menſium & Hæmorrhoidum revocationem directa, minime *circumſpectam* illam camphoræ ordinationem eſſe judicamus, quæ in *copioſa* quantitate ſubſiſtit, quin rectius monemus, ut, quicquid in tali caſu *ſalubritatis* ex Camphoræ uſu expectamus, aut promittimus, id in *pauca* & *repetita* ordinatione conſiſtat: omnis enim *impetuoſa* & audax *humorum* & *partium* commotio, quæ cum *Camphora* concitatur, *non circumſpecta*, ſed *pernicioſa* eſt.

§. VI

Quid porro de Alexipharmaca Camphoræ efficacia ſentiendum ſit, brevibus ſignificabimus: quod Camphora per *calefacientem* ſuam virtutem *diaphoretica* exiſtat, negari minime poteſt; an vero ita *promiſcue* pro *alexiterio* remedio declarari poſſit, merito dubitandum eſt: *duplex* enim & diſcreta eſt propoſitio, *primo* quod Camphora in *omnibus Febrium* ſpeciebus, *utplurimum ſudorem* cauſetur; *deinde*, quod Camphora propterea in illis *ſingulis* febribus *proficua* eſſe debeat: *prior* aſſertio *vera* eſt, *poſterior* adhuc ulteriori approbatione & *ſuffragio* indiget: inter alia aſſerta, cognita eſt *Dolæi in Encyclopæd. Med. Pract. lib. 4. c. 5.* & *Ettmülleri* enunciatio, *quod remedium in Febribus Malignis ſine Camphora ſit inſtar militis ſine gladio:* neque quidem negare poſſumus,

quod

quod *ſingulæ* Febrium ſpecies etiam *absque* Camphora curari poſſint, interim *circumſpectum* omnino Camphoræ uſum in *omni febre* commendamus: quando in *quacunque* Febre motus *inteſtinus* ſanguinis *intenſior* eſt, tunc conſultius Camphoræ uſus *omittitur*; quando ſubjecta ægrotantia de *calidiori* temperamento participant, admodum *cautus* Camphoræ uſus requiritur: quando jam *ſpontaneæ* ſudationes in Febribus occurrunt, minus conſultum eſt per Camphoram *ulterius impellere* velle, quod ſemel in motu eſt: quando in Febribus motus ſanguinis *depreſſus* & *repreſſus* eſt, neque *legitime* in peripheriam corporis tranſit, tunc *parcus* Camphoræ uſus conceditur: quando *maligna* miaſmata *difficilius* in *peripheriam* corporis transferuntur, tunc *modicus* Camphoræ uſus *proficuus* eſt: interim *Zornius* de *Marggravio* allegat, quod *hic in peſte Leidæ graſſante 1664, nullum plane commodum à Camphora profectum, conſpexerit & obſervaverit*: quod vero ſubtilis Camphoræ *ſubſtantia* & *activitas*, ſubtilibus *contagioſis principiis* & *effectibus* ſubjugandis quadret, ex *ratione æque* ac *experientia* confirmari poteſt: interim etiam circumſpectione opus eſt, ne *fortuitam* ſic dictam utilitatem Camphoræ, pro *regula* conſtituamus; ubi neutiquam negandum eſt, quod *aliquando* in Febribus Camphora magis ex *accidenti* utilis deprehenſa fuerit: aſt dum in *malignis* Febribus non raro *neceſſarii* motus vitales admodum *depreſſi* ſunt, ita ad *ſublevandos* illos motus Camphora *quandoque* ſalutaris evadit: haud tamen propterea deficiunt copioſa exempla, ubi Camphora etiam *modica* quantitate in *exanthematicis* Febribus oblata, ſub *efficaci* exanthematum *expulſione*, nihilominus eximias anguſtias præcordiales, internos ardores, vehementem ſitim, magnam inquietudinem, inſolitas vigilias, intenſiores capitis dolores, orgaſmum & ardorem ſanguinis in venis attulit, ut tales patientes *vita* etiam *orbati*, magnam exanthematum *copiam* in *peripheria* corporis demonſtraverint: præcipue porro notandum eſt, quod Camphora quidem talia exanthemata *impetuoſe expellat*, quæ tamen ita coacte & *immoderate* profligata,

 gata,

gata, ſubito *aufugiunt* & mox ad *interiora* ſecedunt, mox iterum in externam regionem delabuntur, aſt ſub *vagabundo* tali ſtatu communiter *ſiniſtrum* decurſum inferunt: cujus obſervationis multa exempla producere poſſemus, ſi inſtitutum noſtrum ferret: ſuffecerit hac vice ipſam rem indicaſſe.

§. VII.

Seorſim adhuc ſignificare placuit, quod in *Cholericis* Febribus Camphora *nullius* utilitatis ſit, quod in *Sanguineis* Febribus *non* conducat, quod in febricitantibus *admodum plethoricis* rectius *omitti* debeat, quod ſub *exceſſu* motuum febrilium magis *noceat*, quod præſentibus & *urgentibus deliriis* ex nimia *ebullitione* ſanguinis provenientibus, *non* conferat; quid quod in ipſis *malignis Febribus* eadem Camphora *provide* ordinanda eſt, ne *miaſma* contagioſum ſub quocunque *immoderatiori* impulſu ad efficaciorem *putrefactionis* vim præcipitet & promoveat: etenim hoc loco probe diſtinguenda eſt Camphoræ efficacia *putredini* reſiſtens in corporibus *demortuis* & *vita* adhuc præditis: hinc ex *ratione* & *experientia* attenta & ſufficienti edocti aſſerimus, quod in Febribus ſingulis *eximie circumſpectus* eſſe debeat Camphoræ uſus, alias longe citius & facilius in iisdem damna, quam commoda parit: quid quod Ratio & Experientia docent, quod cum Camphora Febris *accendi* poſſit, ubi *nulla* adhuc adfuit Febris: quod *robuſtiores* hominum naturæ plane *extra ordinem* & inſolita ac *rara* fiendi ratione perferre poſſunt, illud minime ad *communem regulam* extendi debet: quod ſi tamen in *prædictis* caſibus, circumſtantiis & ſubjectis Camphora *moderate* adhibeatur, tunc in Febribus etiam *malignis*, exceptis *Variolis* & *Morbillis*, ſua laude non caret: præſtat tamen quo *præter* Camphoram etiam *abſorbentia*, aliquando *acidulata* & dilutiora *mucilaginoſa* offerantur; quare prudenter medici cum aliis *temperatioribus alexipharmacis* & *acidulatis* ſubjectis, velut in Mixtura ſimplici, cum multo fructu Camphoram ordinare ſciunt: in *Inflammatoriis* Febribus,

bus, quando motus ſunt *vehementiores* & ſubjecta valde *plethorica*, rectius Camphoræ uſus internus *omittitur*, quando contra naturæ ſunt *temperatioris*, motus ſubinde *moderatiores*, tunc *modicus* Camphoræ uſus neceſſariam *reſolutionem* promovet & facilitat: præterea etiam ſciendum eſt, quod in climatibus *frigidioribus* Camphora *ſecurius* in Febrium cura adhiberi poſſit, in quibus excretiones *convenientes ægrius* ſuccedunt: in *chronicis* Febribus aliquando *nihil*, quandoque comparative *parum* utilitatis affert Camphora, ni *alia* remedia *majorem* ſalubritatem promittant; interdum vero plane *noxia* eſſe deprehenditur: in *Peſte* quid effatu dignum promittat Camphora, ſciunt *Loimiatri*, quorum experientia convenienter ſeligenda, comparanda, diſcernenda, applicanda & dijudicanda erit: ad minimum *communis* medicorum *Practicorum diſſenſus* docebit, quam *caute* Camphora in tam *arduo* & diro morbo adhiberi debeat: in *quacunque Febre* adeſt ſuſpecta *alvi* obſtructio, multa ſaburra in *ventriculo* & reliquis *primis viis*, magnus *orgaſmus* ſanguinis, imo quæcunque Febris ex vehementi *animi* ac *corporis commotione* orta eſt, in quacunque febre adeſt *propenſio* in ſuſpectas ſymptomaticas *hæmorrhagias*, in quacunque febre ex *molimine hæmorrhagico* & *nimio* ſanguinis orgaſmo *deliria* imminent, ibi Camphoræ uſus *non* eſt circumſpectus, ſed *ſuſpectus:* ob id uſus Camphoræ in Febribus probe *diſcernendus* eſt, quia illius effectus *præceps* exiſtit, qui deinde tam cito *revocare* & *emendari haud* poteſt: ad minimum Febris *eminens* qualitas *calefaciens*, & hæc eadem *virtus calefaciens Camphoræ* artificem *circumſpectum* & *judicioſum* reddit

§. VIII.

Brevibus hactenus de alexipharmaca Camphoræ virtute diſſeruimus, de qua adhuc in *tranſitu* ex relatione conſtitutionis Epidemicæ Uratislavienſis in *A. N. C. Dec. 3. an. 9. & 10. apend. p. 4.* contenta, allegare lubet certam Epicriſin; verba ſunt: *Camphora* (videlicet in cura

commemoratorum affectuum) *plane præterita*, *cum vis ejus alexiteria non niſi nuda traditione & opinione hominum nitatur*, *& interne plus detrimenti*, *quam auxilii ſpondeat*: & ita etiam à nimis Camphoratis remediis *B. Ludovici* varia ſuſpecta ſymptomata allegat, quæ ex illius prudenti *implicita* commendatione, per *circumſpectum* Camphoræ uſum evitari poſſunt: Proinde etiam ſciendum, quod in *aliis* affectibus *acutis*, qui non cum febre ſtipati ſunt, Camphora interne *caute* ordinari debeat, velut in *inflammationibus*, immoderatis *congeſtionibus*, præcipitibus aut retropulſis *ſpaſmis*, *rheumatiſmis*, utpote qui affectus, cum *plurimum* nitantur *acerbitate* & refractaria indole *motuum*, ita iidem facile per *liberalem* Camphoræ uſum *exacerbari* ſolent, & licet ſpes concipi poſſit, quod Camphora diaphoretica & *diſcutiente* ſua vi, facile hiſce affectibus mederi queat, tamen hæc ſpes admodum *anceps* eſt, dum æque *facile* in iisdem affectibus pro *differentia* circumſtantiarum Camphora *noxam* ac utilitatem afferre valeat: quando vero in nonnullis affectibus *hujus indolis motus* ad neceſſariam & ſufficientem cauſæ morbificæ ſubjugationem *deficiunt*, tunc per *modicum* Camphoræ uſum *aliqualis* ſalubritas promoveri poteſt: aſt præſtat etiam quo *ante* Camphoræ uſum *nimis* turgida Plethora imminuatur, alvi *obſtructio* liberetur & nimis rigida conſtrictio *peripheriæ* leniatur, ne *præmaturus* Camphoræ uſus, variis *ſiniſtris* humorum impulſibus & partium commotionibus anſam præbeat: Præterea in *ſimplicioribus* congeſtionibus ſanguineis *caute* Camphora commendari debet; etenim in hominibus *ſenſibilioribus* & *activioribus* facile *damnum* parit Camphora, dum illas congeſtiones *exacerbat* & ad *ſuſpectas* motuum evagationes diſponit: hinc uſus docet, quid emolumenti afferat & promittat Camphora in doloribus capitis è *nuda ſanguinea* cauſa provenientibus, in *eluctationibus* ſanguinis è *ventriculo* & *pulmonibus*, in contumaci reſtrictione ſanguinis intra pectus & ad ventriculum; in quibus caſibus quidem facile *hypotheticè* per Camphoram

motus

motus *diſſolvuntur*, *practice* vero tanto facilius *augentur* & deteriorantur: quando viciſſim *congeſtiones* cum *catarrhalibus* ſeceſſionibus conjunctæ ſunt, tunc majori cum *ſecuritate* Camphora ordinari poteſt, in quo caſu illius virtus *diſcutiens*, *diaphoretica* & *roborans* cum meliori ſucceſſu & effectu eluceſcit: interim etiam talia conſtant adminicula, quæ adhuc *majori* ſecuritate in eodem caſu adhiberi poſſunt: In affectibus *mere catarrhalibus* & ſubjectis *humidioribus* ac *temperatioribus* variam utilitatem affert Camphora, neque *tam facile* perniciem minatur, modo *alia congrua* adminicula conjungantur & ſubjungantur, alias *promiſcuus* & *liberalis* Camphoræ uſus eosdem affectus catarrhales magis *auget* & *infarctus* humoroſos concitat: ita in *particularibus* & *chronicis* defluxionibus *ſeroſis* ad *oculos*, *aures*, *nares*, *pulmones* Camphoræ uſus ſatis ſæpe *proficuus* eſt, modo corpus debitè *præparetur* & ipſa Camphora *ſucceſſive*, haud vero *prodigis* doſibus offeratur: in *debilitate cerebri* ex frequenti affluxu & ſeceſſione *pituitoſa* orta, præter *alia nervina* remedia, admodum proficua eſt Camphora: id quod etiam valet de *ſenſuum internorum* nonnullo vitio, velut imbecillitate *memoriæ*, animi *ſommolento* torpore, *moroſi*, præcipue quando hæc vitia à *prædicta* cauſa originem trahunt: hæc ipſa vero animadverſio non de *ſingulis deliriis* valet: quando vero viciſſim quædam deliria à ſtaſi & ſeceſſione *pitutioſa*, à *varicoſa* vaſorum oppletione, à partium nervoſarum *atonia* oriuntur, tunc in iisdem Camphora cum *emolumento* uſurpari poteſt, minus vero ſi illa deliria ab irregulari & ſimul aucto *ſanguinis* motu atque *orgaſmo* pendent.

§. IX.

In *Spaſmis* & *Convulſionibus* caute etiam Camphora adhiberi debet, tanto magis ſi hi affectus in *nudo motuum* vitio conſiſtunt; in quo caſu Camphora dum *inteſtinam* commotionem ſanguinis auget, adeoque *orgaſmum* provocat, potius illos affectus *exaſperat:* deinde in iisdem morbis camphora minus circumſpecte ordinatur, quande *turgens* & valde *com-*

mota plethora in culpa eſt, quando *ſuppreſſæ* Hæmorrhagiæ *ſenſibilibus* & contumacibus *animi pathematibus* nituntur, quando nimia *ebullitio* ſanguinis in culpa eſt, quando *evagationes* motuum & moliminum *hæmorrhagicorum* concurrunt, quando ſimul Hæmorrhagiæ *perturbatæ* ex *inſolitis* locis eluctantur, quando *nimia acrimonia* humorum urget &c. quas *ſingulas* cauſas vel *parcus* camphoræ uſus facile *exacerbat:* quando viciſſim hi affectus à ſuppreſſis excretionibus *ſeroſis*, à *ſtaſi* & infarctu *ſeri*, *lymphæ* & *muci* in diverſis corporis partibus, à *ſpiſſitudine horum* humorum, à *retrepulſione* exanthematum malignorum & aliarum *nonnullarum* efflorefcentiarum &c. oriuntur, tunc *quandoque modicus* & *methodicus* camphoræ uſus proficuus exiſtit: qua occaſione brevibus ſermonem inſtituimus de uſu Camphoræ adverſus *venereum ſtimulum*, qui ſecundum ſpeciales practicorum obſervationes interdum ad *ſpaſmodicos*, quandoque ad *convulſivos* affectus diſponit: ſiquidem inter medicos non deficiunt elogia, quibus Camphora ad venerem *extinguendam* laudatur, cui aſſertioni tamen viciſſim multi medici contrariantur velut *Breynius*, *Tachenius*, *Faber*, *Ammannus*, *Ettmüllerus*, *A. N. C. Dec. I. an. 7. obſ. 235.* unde rectius experientia teſtatur, quod in ſubjectis quibus affectus *impetuoſus* venereus familiaris eſt, Camphora potius *ſeminis* & *ſanguinis* motum *intenſiorem* reddat, hinc Camphora verius ad *deficientem* talem ſtimulum alliciendum, quam opprimendum quadrat. In affectu *Hypochondriaco* & *Hyſterico* an *circumſpecte* Camphora commendari debeat, minime dubitamus: quod enim in utroque morbo *irregulares* commotiones *ſanguinis*, ſuſpectæ *phlogoſes*, *ſpaſmi* rebelles, varia *ſenſibilia* & refractaria *molimina excretoria* occurrant, vix ullus dubitat, cui horum affectuum genius perſpectus eſt: quantum vero viciſſim ad ejusmodi morbidas alterationes *demulcendas* valeat Camphora, docet attenta experientia; inde enim patet quam *facile* recenſita pathemata ab eadem Camphora *deteriorari* queant: & licet Camphora *atoniæ* viſcerum & *flatulentis* moleſtiis ſubvenire videatur,

deatur, tamen nullibi facienda ſunt *bona*, ut eveniat *malum:* dum enim *hæc* incommoda interdum *emendat*, tamen *reliqua auget*, conſentiente frequenti *experientia:* quando *primæ regiones* manifeſta & certa *atonia* laborant, tunc *artificioſus* Camphoræ uſus cum *aliis* roborantibus conjunctus, fructuoſus eſſe obſervatur: uti hac ratione in *nimis frequenti* Diarrhoea *pituitoſa* ſalubritatem ſuam aliquoties obfirmavit. In *defectivis* motuum vitiis utpote in *Apoplexia ſeroſa*, *catarrho ſuffocativo*, *Pareſi* ex *opiatorum* incauto uſu ortis, *Paralyſi* à cauſa *frigida* nata Camphora cum emolumento adhibetur; *minus* vero circumſpecte in *illis* affectibus admittitur, quando cauſæ *alterius* indolis exiſtunt.

§. X.

Quod *fœminis* cum multa *circumſpectione* Camphora commendari debeat, docent & teſtantur multi ingenui viri, imo docet ratio, teſtatur experientia: *nonnullas* enim feminas *inconſultus* Camphoræ uſus reddit *ſteriles*, quasdam ad *aborus* præcipitat, imo conſtant exempla ubi *puerperis* ad *Lochiorum* promotionem Camphora oblata, *deliria phrenitica* excitavit, cujus obſervationis ſpecimen allegare poſſemus, ſi propoſitum noſtrum ferret: In morbis *ſeroſis*, *cachexia*, initiantibus *glanduloſarum* partium obſtructionibus, in *atonia* ventriculi, in *nuda* flatulentia, quæ non à cauſa *ſanguinea* oritur, Camphoræ *prudens* uſus *ſalutaris* quandoque obſervatur; ubique vero debita corporis *præparatio* præmittenda eſt: *minus* ſecure admittitur in *ſcorbuto*, in magnis obſtructionibus partium *ſanguiferarum* & inde pendentibus *ſcirrhis ſanguineis:* neque etiam facile *palpitationi cordis*, *polypo cordis*, *phthiſi*, *hecticæ*, *vomicæ pulmonum* & ſimilibus morbis opem affert, quin rectius longe *facilius* ipſis eximium *præjudicium* affert: neque *indiſcretim* ſedativam vim habet, ſed potius *dolores* provocat & exaſperat, ubi cauſa morbifica eſt *ſanguinea* & diſtinctæ *mobilitatis:* in *venereis* morbis admodum *cautè* Camphora exhibenda eſt, quoniam vel interna

terna *ulcera acrius* ſtimulat, vel *tumores duriores* reddit, vel *inquinamentum* venereum magis commovet ac *intimius* partibus ſolidis præcipue glanduloſis inſinuat: in *Hydrope* per *intervalla* oblata multis ſalutaribus effectibus promovendis quadrat: in *calculo* imprimis *renali* perquam *providè* concedenda eſt, alias facile ad *mictum cruentum* & vehementiores dolores diſponit; neque ad *nephritidem ſimplicem* & *dolores lumbares* interne conducit: *infantibus*, *gravidis* & *puerperis* non eſt concedenda: *ſenes plethoricos* diſponit ad *apoplexiam ſanguineam:* in feminarum *Fluore albo*, qui non cum valde atrocibus *hyſtericis* pathematibus conſentit, ſed in ſubjectis *temperatioribus* & *humidioribus* occurrit, quandoque *utilis* exiſtit: ad *partum* promovendum, ad *dolores partui* reſpondentes excitandos, *non tuto* Camphora propter *ſuſpecta* & periculoſa *conſectaria* admitti poteſt: in ſubjectis *plethoricis*, *junioribus*, *ſenſibilibus* & ad *repentinas congeſtiones* capitis ſanguineas diſpoſitis, vel ipſe *odor* Camphoræ moleſtas & ſuſpectas *vertigines* cauſatur: præſente *gangræna* minus *tuto* interne Camphora ordinatur: in affectibus nonnullis *pectoris* & *ventriculi* à *Menſium* & *Hæmorrhoidum* vitiis provenientibus, *haud ſecure* Camphora uſurpatur: paulo *majori* titulo & emolumento in affectibus *ſoporoſis* quandoque exhibetur: in affectibus *Venam Portæ* vexantibus & *plenitudine* ac *ſpiſſitudine* ſanguinis nitentibus, minus *tuto* exhibetur Camphora, quoniam ad eximias internas anguſtias, internos ardores, alvi & urinæ obſtructiones, infarctus ſuſpectos, cardialgias, inquietudines &c. diſponit: neque etiam circumſpecte ordinatur, quam diu *primæ regiones* cum multa *ſaburra* bilioſa, aceſcente, fermenteſcente, ſalina, mucida, fœculenta obſeſſæ ſunt, quas impuritates *intimius* in *maſſam ſanguineam* rapit, adeoque *ſiniſtris* effectibus & conſecutionibus anſam præbet.

§. XI.

Hactenus in Epitome circumſpectum uſum Camphoræ *internum* expoſuimus; alterum nunc ſupereſt negotium

um, quo brevibus etiam *cautum* uſum Camphoræ *externum* recenſeamus: ſicut Camphora interne adhibita ſub *prudenti artificis* directione ſatis *laudabiles* effectus edit, ita non raro *externe* etiam egregios uſus exſerit: quo loco vero mox enormis ille *abuſus* reprehenſionem meretur, quando promiſcue multi homines in *doloribus* affligentibus, *tumoribus*, *inflammationibus*, *vulneribus*, *ulceribus* &c. confeſtim ad Camphoram, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram, ſed ſub hoc *confuſo* uſu variis etiam periculis ſeſe exponunt: quare & *Medici* & *chirurgi* neceſſe habent, quo cum *externo* Camphoræ uſu circumſpecte procedant: in genere ſciendum, quod in corporibus *ſanguine* turgidis etiam extrinſecus Camphora caute ſit uſurpanda, tanto magis circumſpectus illius uſus requiritur in ſubjectis admodum *ſenſibilibus*, quæ ſeorſim in corpore *externo* & præcipue in *cute* ægre medicamentoſa ſubjecta perferunt, ut intendum nonnulli homines ab *emplaſtris* admodum *temperatis* graviter offendantur, indeque puſtulas, ſerpigines, ardores, congeſtiones, rubores, inflammationes, dolores, excoriationes & ulcerationes experiantur: hujus *ſenſibilitatis* ſubjecta minus proſpere perferunt uſum Camphoræ: homines qui *teneriori cute* præditi ſunt, facile ab uſu Camphoræ externo *dolorificas excoriationes* & ſuſpectos humorum *affluxus* ſuſcipiunt: in quibus etiam ſubjectis adeſt *particularis* cacochymia *ſalina*, in illis facile ſub prædictis circumſtantiis topicus Camphoræ uſus ſuſpectas *exulcerationes* in *ſana* & integra etiam parte cauſatur: conſtant nobis exempla, ubi Camphoræ uſus externus in quibusdam ſubjectis, quæ repentinis *congeſtionibus ſuperficialibus* obnoxia fuerant, purpuram urticatam, imo eryſipelaceam inflammationem ſub peculiaribus circumſtanſtiis provocavit: maxime vero caute adhibenda eſt Camphora, quando corpus valde *exæſtuatum* & ſub orgaſmo *ſanguinis* in peripheria admodum inturgefactum eſt: præcipuam porro conſiderationem meretur, quod Camphora in *ſpiritu vini* ſoluta & *immediate* ad corpus ap-

D pli-

plicata ſæpe *perverſis* effectibus anſam præbeat; quando viciſſim talis ſpiritus vini Camphoratus *intra linteamina* excipitur, aut in *ſicca* forma aut in *cataplaſmatibus* applicatur, *ſecurioris* omnino uſus eſt, quod mox ſeorſim perpendere lubet; præterea Camphora cum *oleis deſtillatis acribus* commixta, valde *circumſpecte* adhiberi debet, quoniam in naturis *ſenſibilioribus*, *plethoricis*, ſanguinis perverſis *commotionibus* expoſitis ad varias periculoſas afflictiones anſam præbet, ſiquidem in tali miſcela ad ſanguinis *orgaſmos*, contumaces *congeſtiones*, *inflammationes* & *ſpaſmos* diſponit: in ſubjectis, quæ ad *repentinas* & faciles *eryſipelaceas* commotiones diſpoſita ſunt, Camphora caute ordinanda eſt, ni ex *promiſcuo* uſu ſuo talia pathemata provocare debeat: ad partes *tendinoſas*, *ligamentoſas nervoſas immediate* applicata Camphora, utplurimum *peſſime* operatur: maxime vero Camphora cum *ſpirituoſis* ſubſtantiis mixta, velut cum ſpiritu vini, oleis deſtillatis cum *eximia* circumſpectione in hominibus *prædictarum* qualitatum ordinari debet: etenim experti medici & chirurgi ſciunt, quanta cautela tali remedio uti debeant.

§. XII.

Quid frequens *odor* Camphoræ *olfactui* incommodi afferat, docent nonnullæ obſervationes practicæ; unde ſcholaſticus ille verſiculus, quod Camphora per nares caſtret odore mares, teſtatur, quomodo frequens odor Camphoræ *olfactum hebetet*, cujus obſervationis teſtimonium allegat *Bartholinus*, *Cent. 4. hiſt. 91:* quando Camphora in *acredine* ſua non emendata *intra oculos* applicatur, gravia omnino damna cauſatur, quando vero antea cum *leniente* & *pingui* principio *temperata* fuit, tunc paulo *ſecurius* ad oculos applicari poteſt: in *ſpiritu vini* ſoluta aut cum *oleis deſtillatis* & *acribus* combinata, intra oculos *nunquam* applicari debet: attamen in nonnullis affectibus *modica* admiſſio *vaporis* Camphoræ *ad oculos* proficua exiſtit, utpote in ophthalmia ſeroſa, lippitudine, initiante cataracta: ſubjectis

hypo-

hypochondriacis, *hyſtericis*, *ſpleneticis*, corrupte *hæmorrhoidariis*, multa alvi *obſtructione* laborantibus, *flatulentia* oppreſſa afflictis, valde *plethoricis*; quæ ſimul frequenter *repentinis* & *ſenſibilibus* capitis doloribus laborant, Camphora *ad caput* caute applicari debet; quodſi enim in ejusmodi caſibus inconſiderate & liberaliter adhibeatur, tunc vel *dolores* tales *auget*, vel ſuſpectos *vertiginoſos* affectus cauſatur, vel ominoſam capitis *inſenſibilitatem*, *ſtuporem*, *ſomnolentiam* & *obtuſum* dolorem poſt ſetrahit: in *ſeroſis* capitis affectibus *majori* ſecuritate conducit: In partium *glanduloſarum infarctibus*, niſi mox in *primis initiis* adhibeatur, magis *infarctum* confirmat & *duritiem* auget, quando *ſola* Camphora uſurpatur, ſi vero cum *emollientibus* & aliis *nervinis* remediis, temperata quantitate applicatur, tunc perinde aliqualem *utilitatem* affert: quodſi contra *frequentius*, *ſimplicius* & *copioſius* adhibeatur, tunc perinde illos *affectus glanduloſarum* partium *contumaciores* reddit: ob id *ſerius* ad *parotides*, *bubones*, *ſcrofulas* adhibita, potius præſentes intumeſcentias *auget* & *intractabiles* reddit: loquimur vero de applicatione Camphoræ in *ſpirituoſa* & *concentrata* quadam conſiſtentia & miſcela: ad *Inflammationes ſuperficiales* tum eryſipelaceas, tum alias *debilis* ſpiritus vini Camphoratus potius *nocet*, quam proficit: rectius vero Camphoræ in concentratam formulam redactæ applicatio *omittitur*, ni in *Gangræna* & *ſimplicioribus* inflammationibus ſub *cataplaſmatibus modicus* Camphoræ uſus aliquam utilitatem afferat: in *Bubonibus venereis* ſatis ſæpe ſpiritus vini Camphoratus multa damna intulit, dum ad contumaciorem *duritiem* contribuit, adeoque affectum magis *intractabilem* reddit: quando viciſſim in *unguentis*, *linimentis*, *emplaſtris*, *cataplaſmatibus* applicatur, longe *ſecurius* operatur: quando Camphora improvide ad *tendinoſa* & *ligamentoſa* loca adhibetur, tunc aliquando *ariduram*, *contracturam* & *ſtuporem* cauſatur: in *ſenſibilibus*, *plethoricis*, *laxioris* habitus perſonis, quibus commotiones *orgaſticæ* & *congeſtoriæ* ſanguinis familiares ſunt, aliquando extrinſecus

 ap-

appoſita Camphora *ruborem*, *ardorem*, dolorem variasque moleſtias procreat: neque deficiunt exempla, quibus teſtari licet, quomodo nudus Camphoræ *odor* hominibus *hypochondriacis*, *hyſtericis*, *ſpleneticis*, *capitis* dolores, anguſtias *præcordiales*, *phlogoſes*, *palpitationes cordis*, *vomitus*, *colica* tormina provocavit; quare externus etiam Camphoræ uſus *circumſpectus* eſſe debet.

§. XIII.

An Camphora *intra vulnera* & *ulcera* ſecure applicari debeat, merito ſolliciti ſunt judicioſi & *ingenui* chirurgi: id vero *multiplex* uſus teſtatur, quod *intra* haſce læſiones *immediate* appoſita Camphora multas & eximias *moleſtias* creet, dum loca hæc valde *ſtimulat*, immoderatum humorum *affluxum* ad illa concitat, ſuſpectum *ardorem*, *ruborem*, ſanguinis *profuſionem* allicit & ſenſibiles *dolores* convocat & id tanto *certius* atq; citius contingit, quando ſubjecta ſunt *ſenſibilia*, ſanguine turgida, quando de *ſanguineo* & *cholerico* temperamento participant, quando *actualibus* ſpontaneis *Hæmorrhagiis* aut *moliminibus* hæmorrhagicis ſunt obnoxia: quodſi vero aliquali humorum *dyſcraſia* laboraverint, tunc talis prædictus Camphoræ uſus ad præſentium vulnerum & ulcerum *depravationem* diſponit, ut varia perverſa ſymptomata coincidant; maxime quidem in vulneribus *caro luxurians* provocatur, neceſſaria *mundificatio* & *conſolidatio* impeditur, ad ſuſpectam *Synoviam* anſa præbetur, *congeſtiones*, *ſpaſmi*, *dolores*, *pruritus* & *ardores* invitantur, ominoſi *tumores* excitantur, imo tandem *rebellia* ulcera aut affectæ partis *ariduræ*, *ſtupores* & *contracturæ* adducuntur: æque *perverſe* proceſſus ſuccedit, quando prædicto modo Camphora *intra ulcera* applicatur, ubi brevitatis gratia non placet illa incommoda recenſere, quæ in tali caſu obſervantur: maxime vero cavendum eſt, ne partes *nervoſæ*, *tendinoſæ* & *ligamentoſæ* proxime & *immediate* cum Camphora offendantur, alias *ſpaſmi*, *convulſiones*, motus *febriles*, *inflammationes*, *gangræna*, eximii *dolores*, *ſynoviæ*, tandem *paralyticæ* afflictio-

ctiones, *ariduræ* & *contracturæ* conſequuntur, interdum plane *ſphacelus* conſequitur: exinde facile liquet, quanta circumſpectione *medici* & *chirurgi* in vulnerum & ulcerum cura Camphora uti debeant: quid quod præſtat *extra* & *circa* vulnera & ulcera eadem Camphora *caute* uti; quando enim *affluxus* ſanguinis ad has læſiones *intenſius* & *contumacius* ruit, quando vulnera *parcius* ſanguinem ſtillarunt, quando ſubjecta valde ſunt *plethorica*, quando aliunde ſanguis *fortius commotus* eſt, tunc *ſpiritus* vini camphoratus in *ambitu* talium læſionum applicatus facile *ſiniſtrè* operatur, ut propterea etiam in tali ſtatu Camphora caute ſit adhibenda: aliquando hic *ſpiritus* in *confiniis* ulcerum appoſitus & frequentius repetitus ſuſpectas *intumeſcentias* cauſatur, quæ neceſſariam *mundificationem* & *conſolidationem* impediunt: In *Mammarum tumoribus* caute etiam uſurpanda eſt Camphora, ne loco expectatæ *diſcuſſionis*, contumaciores *indurationes* invitet, id quod à *ſpiritu* vini camphorato, tanto citius vero *debiliori*, provenire ſolet: quando viciſſim in ejusmodi calamitate Camphora modice cum *cataplaſmatibus* adhibetur, *ſecuriorem* tunc omnino utilitatem promittit: ad *Hæmorrhagias compeſcendas* nihil emolumenti affert Camphora, ſi *immediate* ad locum effluxionis, tanto magis ſi in *concentrata formula* adhibetur: quando vero in *aptis* ſubjectis in *vicinia* applicatur, tunc immoderatas *congeſtiones diſſolvit* & avertit: ſubinde ſciendum eſt, quod multi homines Camphoram ægerrime *in capite* perferre queant & ſicut illa alias ad *capitis dolores* mitigandos laudatur, ita variis ſubjectis tales *dolores cauſatur*, ut ita quoad *individuales* tales circumſtantias *circumſpecte* ordinari debeat: proinde in *infantibus*, *feminis*, præcipue *gravidis* & *puerperis* provide adhiberi debet, quoniam in hiſce ſubjectis facile eminentibus ſiniſtris effectibus anſam præbet.

§. XIV.

Quamvis quidem ad diverſas *Inflammationes* diſcutiendas Camphora ſæpe *egregiam* opem afferat, attamen *mi-*

nus circumſpectus illius uſus multiplicibus *pernicioſis* effectibus cauſam dat: quare experti chirurgi plus & ſecurius neceſſarias tales diſcuſſiones cum *temperatioribus* reſolventibus vegetabilibus ſubjectis proſequi ſciunt: tanto minus quidem conſultum eſt, quando in *externis* inflammationibus ſubito & indiſcretim nonnulli ad *ſpiritus vini Camphorati* uſum confugiunt, ſed pro diverſitate circumſtantiarum varios *ſiniſtros* effectus experiuntur, cujus obſervationis varia nobis conſtant experimenta & teſtimonia: ad *dolorum* diverſas ſpecies uſitatius Camphora illa commendatur & applicatur, ſed experientia etiam docet, quod *non omnes* dolores illius uſum perferre valeant, tanto minus vero, quando nonnulla ſubjecta in *peripheria* remediorum *acrium* appoſitiones *ægrius* tolerant, velut in præcedentibus monuimus: ſi itaque contingit ut nonnulli homines in externo corpore cum *fixiori* ſpasmo affligantur, tunc ſpiritus vini Camphorati applicatio communiter talem ſpaſmum reddit *tenaciorem:* in *mitioribus* contra ſpaſticis cruciatibus modeſtus Camphoræ uſus plus *proficit:* in tumoribus *frigidis* & *œdematoſis* perinde ille Spiritus vin. Camph. *minus* fructuoſe adhibetur, dum *ſubtiliores* & fluidiores ſubſtantias *diſſipat* craſſiores vero *intactas* relinquit, inde tales tumores magis increbeſcunt, *duriores* & contumaciores redduntur: quare in ejusmodi affectibus *caute* adhiberi debet: Quam circumſpecte Camphora adhibenda ſit in *fixioribus* doloribus *podagricis*, docent ratio æque ac Experientia; quemadmodum *liberalis* uſus ſæpius nominati Spiritus vini Camph. in tali affectu *ſucceſſive* ad rigidiorem fibrarum *contractionem* contribuit, unde *tumores* in *tendinoſis* locis, in *muſculoſis* vero *contracturæ* pedetentim increbeſcunt: Quam ſæpe *imperiti* chirurgi cum Camphora in *concentrata* formula adhibita, evidentia damna cauſentur, teſtantur numeroſiora exempla: quam ſæpe cum ſpiritu vini Camph. *eryſipelaceæ* inflammationes *depraventur*, docet attenta obſervatio: quid in *phlegmonodeis* tumoribus ille efficiat, per-

inde

inde nonnulli ſiniſtri caſus teſtantur: neque *inauditum* eſt, quomodo cum eodem *Spiritu vini camph.* ex *ſimplicioribus* tuberculis *mammarum*, *cancer occultus* provocatus fuerit: conſtant exempla ubi *incautus ſpiritus vini camphorati* uſus ad dolores articulorum *rhevmaticos* occaſionem dedit ad internam *fungoſam* concretionem, tendinum *exareſcentiam* & conſequentem *ariduram* & *contracturam*; in tumoribus *ſaccatis* ſpiritus ille adhibitus, quanta damna pariat & quam *refractarios* illos tumores reddat, ſciunt periti ac attenti chirurgi: in læſionibus partium *ſenſibilium* nervoſarum ac tendinoſarum, in *ictu* ab *apibus* inflicto, quid ille Spiritus præcipue in hominibus *delicatioribus* efficiat, perinde comprobant diverſi periculoſi caſus: ubicunque jam tumores valde *duri* & *adulti* ſunt, ibi ſola Camphora parum utilitatis, ſed plus damni affert: in *metaſtaſibus criticis febrilibus liberalis* uſus Camphoræ *minus* circumſpectus eſt, quoniam materiam febrilem ad *interiora* denuo pellit & variis periculoſis conſectariis viam ſternit: quotiescunque Spiritus vini *parcius* cum Camphora ſaturatus eſt, toties *exoptatos* ſuos effectus *non* ſufficienter exſerit, imo utplurimum magis *nocet*: ſecurius Camphora in *aliis* formulis adhibetur: *caute* vero in *ſpirituoſa* & *concentrata* formula applicari debet. Sed nunc abrumpere debemus: confitemur quidem quod in hac utili tractatione adhuc variæ conſideratu dignæ animadverſiones allegari queant: ſed quia admodum ſingularem brevitatem ſelegimus, ita tantum primis velut labris hoc thema tetigimus, ſubinde viam monſtravimus, qua propoſitus *circumſpectus* Camphoræ uſus internus & externus ad ulteriorem illuſtrationem duci & applicari poteſt. Deo Benigniſſimo hunc laborem conſecramus, proinde humillime precamur, quo providum Camphoræ uſum cum ſua benedictione beare & ad ſalutares exoptatos effectus dirigere velit, noſtros vero ſinceros conatus in ſinum gratiæ ſuæ recipiat omnique futura benedictione proſequatur.

Die

Die Freundſchafft, ſo mich DJR Geehrter Freund verbindet,
Heißt meinen ſchlechten Kiel auch itzt DJR dienſtbahr ſeyn;
Itzt, da der Künſte GOtt den Ehren-Crantz DJR windet,
Und du vor DEJNEM Fleiß verdienten Lohn nimbſt ein.
Doch aber will ich nicht die Wiſſenſchafft erheben,
Womit DU reitzend prangſt, und Kunſt, ſo bey dir thront,
DU wirſt ſchon heute ſelbſt ein Zeugniß von dir geben,
Wie nichts gemeines ſey, ſo DEJNE Bruſt bewohnt,
Beſondern einen Wunſch in kurtze Reime ſchließen,
Der nur entfleckte Treu als ſeinen Urſprung kenn't.
Der Himmel laß' auf dich ſo Gnad' als Seegen fließen,
Und gebe, daß auch man dich recht beglücket nennt,
Er förd're DEJNE Kunſt und DEJNE Artzeneyen,
Wenn dich der Patient zu ſeiner Rettung ruft,
Er laße deinen Fleiß zu vieler Wohl gedeyen,
So retteſt DU gewiß noch manchen aus der Gruft.
Und alſo kanſtu leicht der Leute Irthum ſtillen,
Der junge Medicos auf einen Kirch-Hoff weißt;
Du darfſt nicht ſolchen erſt mit vielen Leichen füllen,
Denn DU haſt ſchon gelernt, was Cur und Kranckheit heißt.

Hiemit wolte den Herrn Candidaten ſeine
Schuldigkeit bezeugen

J. A. ROEPER, Halberſt.